



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Scientia Salvts, Sive Considerationes Piæ, Præcipuam  
Spiritualis Vitæ Materiam complectens**

**Laberhittel, Samuel**

**Ingolstadii, 1660**

232. Feria 2. de mortificatione Linguæ.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59837](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59837)

416 Fer. 2. Domin. 9. post Pentecost.

*Talis quisque inveniatur in nocte, qualis in die, talis in lecto, qualis in oratione.*

MEDITATIO CCXXXII.

Feria 2. Domin. 9. post Pentecost.

*De mortificatione Linguae.*

**A**udiam de Domino JESU dici Matth. 12. *Non contendet, neque clamabit: quin & videbo eundem vera semper loquentem, inter opprobria tacentem, pro blasphemis, & crucifixoribus orantem. Petam ejus exemplo linguam meam refrenare.*

*Conf. 1. Si quis in verbo non offendit, hic perfectus est vir, ait D. Jacobus cap. 3. Et Tertull. lib. de Patient. addit: Iam nec fatuo quidem dicere sine iudicij periculo licet. Et quia virtutis laus in actione sita est.*

*Conf. 2. Actiones mortificatae linguae sunt, 1. Detractiones proximorum etiam de rebus levissimis, quae nullius momenti apparent, fugere. 2. Mendacia jocosa, & officiosa, quamvis ex illis magnum speretur emolumentum, declinare. 3. Duplicitates sensuum, ambiguitates, obscuritatesque sermonis deponere. 4. Rixas, & contentiones, sive pro indaganda veritate, sive pro aliquo negotio gerendo, prudenter abijcere. 5. Omnem jactantiam verborum, arrogantiam, ac laudem, in proprio ore foetentem, vitare. 6. Quae secreta*

*Feria 2, Domin. 9. post Pentecost. 417*

secreta esse oportet, nemini, nisi ex causa, & in concessis eventibus revelare. 7. Scurrilia, & nugatoria, & statui spiritualis vitæ minime congrua, loqui erubescere. 8. Otiosa, & vana, otiosis & vanis hominibus loquenda relinquere. 9. Quæ me deceant, quæ audienti convenient, quæ materiæ congruant, per prudentiam, ad loquendum quærere, & modum in sermone tenendum custodire. 10. In loco ad loquendum non destinato tacere. 11. Erga alios, quibuscum loquar, & erga res divinas, quas exponam, reverenter me habere. 12. Ita linguam tacere, ut intus vana non cogitem, & cum opus est loqui, propter amorem silentij, utilem sermonem non omittere, sed loquar, vel de DEO, vel propter DEVM.

*Conf. 3. Juvabunt ad linguæ custodiam:*  
1. Silentij utilitates considerare. 2. Cogitare sermones meos à DEO audiri. 3. Consortia eorum, loca, & tempora, quibus lingua laborat, vitare. 4. Cum ex domo itur, bono contra linguæ vitia proposito, me munire: & divinum auxilium ad id postulare. 5. Viros prudentes in loquendi modo imitari. 6. Nihil indeliberatè aut temerè effutire. 7.

Bonas operationes pro vitijs & lapsibus linguæ Domino offerre.

S 5 MEDI-